

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0264

0262

0268

0258

0273

0253

0313

0213

0363

0163

0763

Ende

Anfang

252

Quum autem peregrini episcopi redeentes marino itinere in Alemanniam revenerunt, terrenum dimiserunt iter, ne iterum Turcis praeda fierent. Nam Turci Asiam minorem possidentes usque in Syriam dominantur; deinde incipit Soldani dominium, et saepe inter se Turci ac Sarraceni discordant, quod etiam illis temporibus fuisse opinor.

Anno Domini MLXX. archiepiscopus Trevirensis Theodosius iter Jerosolytanum est aggressus per mare, sed tempestate maris invalescente confracta navi cum omnibus suis servis periit.

Post haec inceperunt Sarraceni et Turci non solum Jerusalem et terram sanctam acrius infestare et undique Christianorum terras invadere, verum ea tempestate imperium constantinopolitanum adeo per Turcos imminutum est, ut vix Thraciam, Galliciam, Pontum, Thessalam, Macedoniam et Achajam obtinere possent; e quibus provinciis nunc Turci, nunc Sarraceni aliquae cottidie sibi subtrahebant et ad amaritudinem vitam Christianorum secum habitantium deducebant, praecipue tamen in Jerusalem et in terra sancta male tractabantur Christiani. Nam anno Domini MLXXXII. Boreades sive Turci armata manu Palaestinam ingressi igne et ferro regionem vastabant, sed et civitatem sanctam Jerusalem diripiabant et Christianos ibi repertos miserabiliter trucidabant et dominicum sepulchrum multis turpitudinibus dehonestabant. Interim dominus imperator constantinopolitanus legatos ad romani imperii imperatorem Heinricum III. misit et ad principes occidentis rem gestam intimavit et ad succursum terrae sanctae invitavit. Pontificante igitur Urbano hujus nominis II. Papa et Heinrico III. imperante erat in Galliis quidam eremita, Petrus nomine, prudentissimus, incomparabilis sanctitatis vir. Hic haud dubie instinctu Spiritus motus dimissa quiete solitudinis ad sanctam evagationem se contulit surgensque cum aliis multis peregrinis mari transmisso ad terram sanctam in dominicum sepulchrum pervenit et loca sanctissima deosculans magnam sui spiritus devotionem et fervorem sensit. Videns autem loca illa sanctissima conculcari irreverenter ab infidelibus et venerabilem Simeonem patriarcham loci et suum clerum sperni et despici, aliosque Christianos opprimi et vexari

